

Handwritten text in a cursive script, partially visible on the right edge of the page. The text is mostly illegible due to the angle and focus, but some characters like 'i', 'z', 'y', 'f', '6', '8', '9', '10', and '1' are discernible.



DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA

20.

DE

1670, 26 b
PRÆCIPVO

LIBERORVM

30

Sive

Vom Horaus der Kinder

AUTHORE

JOHANNE PETRO WOLFRAMO,

Alzeiâ Palatino.



ARGENTORATI,
Literis JOSIÆ STÆDELII.

ANNO M DC LXX.

DISPUTATIO IN UNIVERSALIS JURISPRUDENTIA

DE

PRÆCIPUIS

LIBERORUM

JOHANNIS DE WOLFFRAMO

AUCTORE

JOHANNES DE WOLFFRAMO

ALUMNO



IN UNIVERSITATE ALMA MATER
SALISBURGENSIS

ANNO MDCCLXX





I. N. S. S. T.

PROOEMIUM.

Jctus Ulpianus in *l. 1. pr. ff. de suspect. tu-*
tor. doctrinam de suspecti tutoris crimine pro-
positurus attentionem Lectoris excitare volu-
it eâ ratione: Quod ista clausula, i. e. materia
de suspectis tutoribus *secundum Glossam & D. Gothofre-*
dum, p. m. in not. ibid. lit. F. & frequens & pernecessaria
sit. Frequentem eam esse inde demonstrat, quod quo-
tidie suspecti tutores postulantur *d. pr.* Pernecessariam,
ex hoc ipso concludit, quod frequens & quotidiana: un-
de etiam prolixiore tractatione eandem indigere subsu-
mit *d. l. 1. §. 1.* Idque apparet etiam ex *l. 25. ff. de liberat.*
legat. ubi traditur, quod ea quæ quotidiana sunt, ple-
nius attingenda. Quemadmodum enim quascunque res
alias in communis vitæ usum necessarias, ex ipsarum
commoditate & indigentia æstimamus, & pro utilitate
quam præstant, magni minorisvè facimus: sic omnino
& ad legalium capitum compositionem accommodari
oportebit, ut quorum usus præstantior, bono quopiam
singulari Rempublicam beans, tanto magis eadem incul-
centur & resolvantur; quorum verò usus aut minoris
momenti, aut non ita magnus sit, horum non modò nul-
la ratio, sed etiam ipsa è legum corpore rejiciantur. *Nov.*
Leon. 46. Itaque cum & mihi exantlatis non ita pridem
A 2
auxi-

auxiliante DEO T. O. M. ordinariis Utriusque Juris examinibus, thema aliquod disputandum solenniter exhibendum esset, hanc de PRÆCIPVO LIBERORVM materiam præcipue elaborandam suscepi; utpote quam non modo jucundam sed & quotidianam, adeoque utilissimam, à paucis, & quidem quantum mihi constat, à nemine hæctenus in specie pertractatum deprehendi. Quod si ergo vel ratione ordinis vel ipsius materiæ incongruenter, quid à me positum reperiatur, illud melius edoctum vel tempore vel monitis Doctorum absque hæsitacione emendaturum me polliceor.

PARS PRIMA
Continens Generalia.

CAP. I.

Ordinis commendatio, Nominis derivatio, Varia acceptatio Equipollentia cum Denominatione.

§. 1.

Cum ordine nihil pulchrius, & scire secundum vulgatissimum effatum, quid facias, & nescire, quo ordine facias, haud sit perfectæ cognitionis, ideoque & ego ordinem servaturus & exemplo Ulpiani in *l. 1. pr. ff. de X. & I. l. 11. pr. ff. de Injur. & famos. libell.* Pauli in *l. 1. pr. ff. de acquir vel amitt. poss. l. 1. pr. ff. de furt.* insistens à nominis notatione, ne ignoretur, de quo dicatur *l. 2. §. 43. ff. de O. I.* tractationis telam exordiat.

§. 2.

§. 2. Dicitur autem PRÆCIPUUM à verbo *Præcipio*, quod compositum à præpositione *Præ* & verbo *Capio*: Verbum vero *Præcipere* varias habet significationes; aliquando enim idem est ac *jubere*, quod propriè est intelligentibus intimare faciendum, unde Præcepta pro jussis accipimus; ita jussa Magistratum Præcepta dicuntur: In Divinis libris etiam aliquando de rebus inanimatis & non intelligentibus accipitur, quatenus ea potentia DEI aptantur, ad edendos certos effectus. *Hieronym. in cap. 45. Esaia*: Illud quod scriptum est; *Ego omnibus stellis præcepi*. Aliquando *Instruere*, *Monere*, *Docere*. Quâ ratione Artium Magistri Præceptores appellantur, quasi Institutores, & placita eorum præcepta & præceptiones, *Cicer. de finib. sapientiâ præceptrice in tranquillitate vivi potest. Plin. lib. 18. cap. 24. Hesiodus qui princeps omnium de agricultura præcepit*. Nonnunquam significat *Prævidere* s. *antevidere*, *Virg. 6. Æneid. Omnia præcepi, atque animo mecum ante peregi*: Modo *Prævenire*. *Idem. Exultatque animis Et spe jam præcipit hostem*. Propriè PRÆCIPERE denotat *præ aliis capere* l. 65. §. f. ff. *pro socio*. Hinc descendit vocabulum PRÆCIPUUM, quod significat illud, quod quis præ aliis capit l. 34. §. 1. *de legat. 2. l. 1. §. 15. ff. de collat. l. 13. C. de collat. Voss. Lex. Etym.*

§. 3. Sequitur hujus termini diversa significatio. Cum enim ut alibi ita vel maxime in jure nostro controversæ plerumque consistant in ambiguitate termini, ob id accuratè dignoscenda est cujusque vocis acceptio. Accipitur autem vel in *Sensu Latiori*: quo non tantum in hæreditariis quæstionibus huic vocabulo locus est, sed & in aliis negotiis. Nam socius quoque præcipuum habere dicitur l. 65. §. *fin. l. 81. ff. pro socio*. Sic quod ex re alterius

dominorum communis servus quasi, is, cujus ea res fuit, præcipuum habet. *l. 24. ff. comm. divid.* Vel in *Lato* secundum quem quidem in hereditariis quaestionibus tantum locum habet, illam vero etiam rem sub se comprehendit, quam Judex uni ex heredibus præ reliquis coheredibus tenetur adjudicare, ita tamen ut nihilominus conferenda sit collatione ficta, sc. minus capiendo seu remittendo tantum ex bonis hereditariis, quantum haberet ex collatis. *l. 1. §. 12. ff. de collat.* In *Stricto vero*, quo nobis tractandum est, tantum in successione parentum locum habet; ut si quis Liberorum ex lege, statuto vel defuncti parentis voluntate quid præcipere jubetur, ita ut illud præter hereditariam portionem & sui juris habeat. *l. 34. §. 1. de leg. 2. Reformat. Noric. Lib. 2. l. 34.*

§. 4. Exprimitur autem aliis quoque vocabulis; Sic Latinis etiam dicitur, Non commune cum aliis, *Schard. in Lexic. suo Jurid.* Collationi non subjacens. *l. ult. C. de collat.* Proprium, *d. l. ult.* Non veniens in divisionem hereditatis *arg. l. 12. C. de Collat.* Germanis *Vorthheil/ Vorthaus/* quasi dicas *zuvooraus* oder *zuvoorhinaus* geben. *Wehner. Obs. Pract. Lit. 3. vocab. Zuvooraus Rittersbus. in Nov. Part. 5. cap. 6. n. 2. Job. Hieronym. Wurffb. in Different. Jur. Civ. & Noric. class. 1. membr. 2. sect. 1. th. 41. Reformat. Noric. de ann. 1479. 1522. utrobique L. 2. tit. 14.* Græcis *Ἐξάιστος* sic *l. 34. §. 1. de legat. 2.* dicitur: *Ἐξάιστος βέλομαι αὐτὸν παρ' ἑαυτῆ λαβεῖν.*

§. 5. Sequitur Paronymia, à vocabulo PRÆCIPUUM descendit *Præcipuus* adjectivum, significans illum qui præ aliis capitur, sicut German. *vornehme/* à *vor* præ & *nehmen* capere. Græc. *Ἐξάιστος* Item adverbium *Præcipuè*, quasi ante omnia s. præventis; omnibus, *Præcipuo, modo* Græc.

Græc. ἐξουέτως. vid. Mart. Lexic. Philolog. vocab. Præcipuus.

CAP. II.

Quid sit Præcipuum, Differentia
ejus ab hereditate & legato.

§. I.

Delibatâ sic nominis ratione, nunc de re ipsâ erit despiciendum. Cum vero constet Definitiones in jure periculosas esse solere, & propter varias negotiorum circumstantias facile subverti posse. l. 202. de R. I. mihi quoque, si non exactissimam ad Logicorum regulas propositurus sum definitionem, condonabitur, cum sicut alibi ita & hic cognitio materiæ hujus potius ex particularibus haurienda, adeoque per unicam definitionem vix instillari possit; ut in simili loquitur Dn. Reink. de retract. consang. q. 1. n. 63. inf. Sanè Johannes Calvinus in Lexico suo Juridico ita quidem definit: *Præcipuum dicitur quod heredibus per præceptionem legatum est.* Quoniam vero sub hac definitione præcipuum Conventionale, Legitimum & Statutarium Liberorum non comprehenditur, & ita quoad nostram acceptionem suo definito angustior sit, ideo aliam formare tentabo, sc. *Præcipuum nihil aliud est, quam res liberis præter hereditariam portionem ita assignata, ut ante divisionem capiatur, vel si iam accepta sit retineatur.*

§. 2. In Definitionis nostræ explicatione omnium primò occurrit Genus, quod constituit vocabulum *Res. Varia* autem *Rei* acceptio. Accipitur enim vel *Vulgariter* vel *Artificialiter* vid. Hodog. Jur. Chart. 1. Clim. 2. parallel.

rall. 1. §. 1. Venerandi Dn. Senioris Juridica Facultat. D. Johannis Rebbanii Jcti, Patroni & Præceptoris mei summe colendi. Hoc in loco sumitur *Artificialiter*, significans vel subjectum comprehendens & corpora sive species, quales sunt v. gr. fundus, ædes, homo, equus &c. & summas sive quantitates, ut pecuniam, nomina &c. *tt. J. de reb. corpor. & incorp.* vel jus, ut pignus, servitus &c.

§. 3. Loco Differentiæ specificæ stant verba subsequencia, nempe: *Liberis præter hereditariam portionem ita assignata* &c. quibus non tantum distinguitur ab ipsa hereditate, sed & à legato. Ab hereditate paterna, cum hereditas illa acquiratur per universitatem & titulum universalem §. *fin. I. per quas person. cuique acquir. l. 24. ff. de V. S. l. 62. l. 128. de R. I.* Præcipuum, ut Prælegatum per particularem. *arg. d. §. fin. l. 34. §. 1. l. ult. ff. de legat. 2.* Item Præcipuum ex ultima voluntate per præceptionem relictum non potest relinqui ei, qui non habet coheredem. *l. 116. §. 1. de legat. 1.* at benè hereditas. A legato, quoniam illud ei, qui non est heres, relinqui potest. §. *11. I. de testam. ordin. l. 20. pr. ff. qui testam. facere possunt. l. 14. l. 15. ff. de reb. dubiis.* Prælegatum vero non nisi heredi coheredem habenti. *d. l. 116.*

§. 1. de legat. 1. l. 34. §. 11. eod.

CAP. III.

CAP. III.

Præcipuum aliud ex Voluntate unius vel plurium, aliud ex Ipsa Lege, Liberorum Masculorum tantum, aliquando Masculorum aliquando Fœminarum, Consanguineorum, Uterinorum, aliud ex Statutis, Masculinum, Fœmininum, Liberorum secundi matrimonii.

§. 1.

PArtis generalis membrum postremum concernit *Divisionem*: Dividi autem potest Præcipuum Liberorum quod aliud sit *Ex Voluntate hominum*, aliud *Ex Ipsa Lege*, aliud *ex Statutis* Præcipuum *ex Voluntate hominum* est vel ex voluntate Unius tantum, vel Plurium. Ex voluntate unius est, quod parens ultimâ voluntate constituit, ut aliquis ex liberis heredibus illud præter hereditariam portionem ante divisionem capiat sibi que sui juris sine collatione habeat: ac in jure vocatur Prælegatum *l. 27. §. 1. l. 41. §. 3. de legat. 3.* Ex voluntate plurium Conventionale dici potest, estque illud quod præcipuè liberis obvenit ex ascendenti contractu vel Feudali, ut feudum, ubi masculi fœminas regulariter excludunt. *1. F. 1. §. 3. 1. F. 8. pr. & §. 2. vel Unionis prolium. vid. Rickh. de Unione prolium cap. 7. n. 24.*

§. 2. *Legitimum* est quod Lex ipsa præter hereditariam portionem proprium habere jubet. *l. 1. §. 15. ff. de collat.* Estque Liberorum vel Masculorum tantum, vel aliquando Masculorum aliquando Fœminarum, pro diverso respectu bonorum, quædam enim bona ita affecta

B sunt

sunt ut solùm masculi ea acquirere possint, ut castrensia & quasi &c. *d. l. 1. §. 15. ff. de collat. l. 4. ff. de castrens. pecul. quædam ita, ut aliquando masculi & foeminae, ut bona adventitia, &c. l. 6. C. de bon. qua liber. §. 1. I. per quas person. cuique acquir. Vid. Part. 2. c. 3. §. 5. & seqq. vel Liberos Consanguineorum vel Uterinorum. l. 4. C. de secund. nupt. Nov. 22. c. 29.*

§. 3. Præcipuum ex Statutis quarundam Regionum & Civitatum est, quod liberi secundum ea ante divisionem hereditatis capiunt, hocque dividi potest in Masculinum, Foemininum, & Liberos ex Secundo Matrimonio. Masculinum est quod filii, Foemininum quod filia solum præcipiunt. *vid. Sächsisch. LandR. lib. 1. art. 27. Reformat. Noric. de anno 1564. Liberos ex Secundo Matrimonio est, quod tales liberi præcipuum habent. vid. Fürstenth. Würtemb. Gemeine Landr. Part. 4. rubr. Wie es gehalten werden soll/ so zwey Ehegemächt beysammen Kinder ehelich erzeugten/ und ihr jedes auffer vorhergehender Ehe auch Kinder &c.*

PARS SECUNDA Exhibens Specialia.

CAP. I.

Qui Præcipuum constituent vel non.

§. 1.

Absolutâ Parte Generali sequitur *Specialis*, in qua Causæ & Effectus explicantur: Ex Causis Consentaneis primis

mum sese offert *Causa Efficiens*; quæ ratione Præcipui ex *ultima voluntate* parentis defuncti eadem est, quæ in legatis; nempe *Causa efficiens* ἀνεργασμένη est benigna parentis voluntas. l. 1. C. comm. de legat. ἀνεργασμένη singularis favor. *Causa efficiens remota* est Lex IIX. Tab. *propinqua* Parens prælegans; Inde considerandum venit, quis prælegatum relinquere possit.

§. 2. Prælegatum Liberis suis relinquere potest, quisquis testamentum faciendi jus habet, arg. l. 2. de legat. 1. l. 1. §. 1. 2. de legat. 3. §. 10. I. de fideicom. heredit. Hinc alii prohibentur natura alii lege. *Natura* ad testandum inhabilis. I. Propter defectum sensus, ut mutus & surdus natura l. 6. §. 1. ff. qui testam. fac. poss. 2. Furiosus l. 16. §. 1. ff. qui testam. fac. poss. 2. propter defectum mentis. *Lege prohibetur*. I. Ob statum (1) servus l. 8. l. 12. l. 13. d. t. (2) filius famil. adeo ut ne permittente quidem patre l. 6. pr. l. 16. ff. qui testam. facer. poss. intellige de peculio adventitio, de castrensi enim & quasi secus l. ult. C. qui testam. facer. poss. §. 9. I. de testam. ordin. II. Propter defectum mentis & consilii inhabilis est prodigus cui bonis interdictum. §. 2. I. de testam. ordin. l. 18. ff. eod. l. 40. de R. I. III. Ob crimen. (1) Carminis famosi damnatus d. l. 18. §. 1. (2) Apostata l. 2. 3. 4. C. de apostat. (3) hæreticus, auth. credentes C. de hæretic. (4) Incestis nuptiis pollutus l. 6. §. auth. seq. C. de incest. nupt. (5) Usurarius manifestus c. 2. inf. de usuris in 6.

§. 3. Præcipui *Conventionalis* ut *Feudi* *Causa efficiens* est primus acquirens, Jus enim feudi à primo concedente constitutum & à primo acquirente sibi ac successoribus suis acquisitum devolvitur, defuncto vasallo, in alium per successionem legitimam juxta ordinariam feudi naturam

B 2

ram

ram per successionem ab intestato, modo succedendi feudali. 2. F. 11. § 50. 1. F. 1. §. 1. 1. F. 8. Ex unione prolium parens seu mas seu foemina prioris matrimonii: docente Rickb. de Unione Prolium. cap. 7. n. 24. ibi: Probè in plerisque Civitatibus & Provinciarum Reformationibus statutum est, ut in unione prolium liberis prioris matrimonii parentes, præcipuum aliquod assignent, quod Germanico idiomate einen Voraug appellat, add. Churfürstl. Pfalzs-Lands-Ordnung Part. 2. tit. 25. von Einkindschafften/ Reformat. Wormatiens. tit. von Einkindschafften.

§. 4. Quod liberi præcipua habeant bona castrensia & quasi castrensia, adventitia, donationem simplicem, sponsalitiã largitatem &c. vid. cap. 3. §. 9. & seqq. b. P. Causa efficiens est ipsa Lex. vid. l. 1. §. 15. §. 16. ff. de collat. §. 1. I. per quas person. cuique acquir. l. 6. C. de bon. qua liber. l. 4. C. de secund. nupt. Nov. 22. c. 29.

§. 5. Causa efficiens Statutarii est Magistratus Provinciae vel Civitatis, in quã obtinet. Ita in Saxonia Serenissimus ibidem Elector. vid. Sächsische Landr. In Ducatu Württembergico secundum Landtr. des Fürstenth. Württenb. de ann. 1585. Christophorus Dux Württenb. Norimbergæ Magistratus illius Civitatis. vid. Reform. Noric. de ann. 1522. & antiquior 1479. utrobique tit. 14. & Novissima de ann. 1564.

CAP. II.

Personæ præcipuo gaudentes vel non.

§. 1.

Materia subjectiva seu Personæ, quæ præcipuum hoc accipere possunt, sunt Liberi parenti succedentes, qui,
cum

cum varii sint, pro diversitate Præcipui diversimodè considerandi. Ut ergo filius vel filia præcipuum ex ultimâ voluntate parentis accipere possit, requiritur coheres. Filio enim coheredem non habenti præcipuum relinqui non potest. *Cajus Lib. 2. tit. 5. §. 7. I. de legat. Alciat. Libr. 3. Parerg. c. 1. l. 116. §. 1. de legat. 1.* Daretur enim alias prælegatum heredi à semetipso; quod jus nostrum non patitur *l. 34. §. 1. de legat. 1.* cum absurdum sit quenquam sibi debere, eundemque & creditorem & debitorem esse. *Duaren. ad l. 25. de legat. 1. Cujac. ad l. 17. d. t.* Imo frustra ei jure prælegati datum esset, quod alioqui æquè habiturus fuerat, tanquam heres. Unde si heredi ex asse instituto & Titio fundus legetur, Titius sibi totum acquirit. *l. 34. §. 11. eod.* Dictis hisce obstare videtur *l. 34. §. 1. de legat. 2.* in qua dicitur quod sibi à semetipso prælegari possit. Verum respondetur. Heredi coheredem habenti recte & utiliter prælegatur, in tantum, ut licet testator expressè dixerit, *heredi à se ipso lego vel dari jubeo*, nihilominus utile sit prælegatum propter personam coheredis. Verba enim testatoris ita potius interpretamur, ut subsistat prælegatum, quàm ut corruat, modo juris ratio non repugnet. *C. I. A. ad tit. ff. de legat. th. 18.* Quo autem appareat quibus Liberis prælegatum relinqui possit videamus, qui heredes instituti nequeant. Cognito enim uno contrariorum cognoscitur & alterum, *arg. pr. I. de Tutel.*

§. 2. Heredes institui vetantur alii *Absolute* ut 1. Servi poenæ *l. 3. ff. de his que pro non script. hab. l. 17. pr. ff. de poen.* Ad rem os damnatus nostro tempore *C. I. A. ad tit. ff. de hered. instit. th. 14. n. 3.* Bannitus vel proscriptus ab Imperio *ibid. vid. & Hillig Donell. Enucl. 6. cap. 17. lit. N. 2.* Deportatus *l. 1. C. eod. vid. Barry. de success. test. & intest. Lib. 1. t. 8. n. 2. & seqq.* 3. Mulier intra annum lu-

Etus nubens l. 1. C. de secund. nupt. 4. Anabaptista l. f. C. ne sacr. bapt. reit. 5. Apostata l. 3. C. de apostat. 6. Hæreticus vid. l. 4. C. de hæretic. auth. Credentes, Auth. Gazaros. C. d. t. 7. Ex damnato coitu natus, auth. Licet. C. de natur. liber. l. 6. C. de incest. nupt. 8. Qui professus est talem aliquam religionem, quæ bonorum est incapax, qualis est ordo Franciscanorum & aliorum Fratrum Mendicantium, de quibus vid. Clem. ex. vi. §. cum enim ad veritatem vite. de Verbor. Signific.

§. 3. Alii secundum quid; qui sc. institui possunt, non tamen ab omnibus, aut non nisi in certam partem sic i. Legitimis liberis cujuscunque sexus, uno pluribusve existentibus, bonorum suorum unam tantum unciam pater naturalibus liberis relinquendi habet potestatem. l. 2. auth. Licet. C. de natural. liber. Nov. 89. cap. 12. 2. Legitimati ii, qui sine matrimonio per oblationem curiæ legitimi facti sunt, heredes quidem institui possunt, ita tamen, ut hoc modo legitimatis non plus relinquatur, quam uni filiorum naturalium & legitimorum, cui minimum est relictum, d. Nov. 89. c. 3. 3. Spurii ex matre illustri adhuc alium filium ex justis nuptiis habente l. 5. C. ad SC. Orfic.

§. 4. Qui ex Ipsa Lege præcipuum capiunt sunt Liberi vel Masculi tantum vel Masculi & Fœminæ (pro diverso respectu bonorum) vel Consanguinei vel Uterini: Quædam enim bona ita affecta sunt, ut solum filii illa acquirere possint, v. gr. bona castrensia & quasi castrensia &c. vid. cap. seq. §. 5. Ratio quòd fœminæ ab omnibus officiis virilibus & publicis remotæ sunt l. 2. ff. de R. I. adeoque nec militis, arg. l. 4. pr. ff. de re milit. nec procuratoris nec advocati personam sustinere queunt. d. l. 2. ff. de R. I. & ita nec peculium castrense vel quasi acquirere

tere idque præcipuum habere. Quædam vero ita, ut tam Fœminæ quàm Masculi acquirere possint, ut bona adventitia &c. *vid. d. cap. §. 6.* sicque qui talia acquisivit præcipua etiam habet. *l. 1. §. 15. ff. de collat. §. 1. I. per quas pers. quique acquir. l. 6. C. de bon. qualib. l. ult. C. de collat. Consanguinei quando communi patri, Uterini quando communi matri succedunt. l. 3. l. 4. l. 5. C. de secund. nupt. Nov. 22. c. 29. add. sæpius citat. cap. §. 7.*

§. 5. *Liberi qui ex contractu Ascendentium* Præcipuum capiunt, & quidem *Ex Contractu feudali* regulariter sunt sexus masculini, legitime tamen à primo acquirente descendentes & ad servitia Domino exhibenda idonei; in feudis namque ejusmodi liberi fœminas regulariter excludunt. *l. F. 1. §. 3. l. F. 8. in pr. §. 2.* Hujus autem consuetudinis rationes *vid. ad thes. præced. §. infr. cap. 5. §. 4.* Et hoc verum est etiam in feudo empto, & ita Scabinos Lipsienses in causa Georgii Joachimi von Leitzsch zu Göttlich mens. Maj. 1594. respondisse refert *Carpz. Jurisp. For. Part. 3. const. 28. def. 9.* ut & in feudo hereditario. *Hartmann. Pistor. Part. 2. quest. 1. n. 97.* sicquæ prædictos Scabinos in causa Georgii von Deumingen mens. Jul. ann. 1596. pronuntiasse itidem testatur *Carpz. d. l. def. 11.* Distingvendum tamen annon in constitutione ejusmodi feudi tale pactum adjectum sit, ut & fœminæ succedant, quo casu pro diversitate pactorum fit successio. Aut enim fœmina succedit demum deficiente masculo (uti alias in feudis fœmineis fieri solet) aut simul cum masculo. *vid. Struv. Synt. Jur. Feud. cap. 4. apb. 13.*

§. 6. *Qui ex Unionis prolium conventionione* præcipuum accipiunt sunt liberi ut plurimum prioris matrimonii, qui cum aliis ex posteriori procreatis uniti succedunt; Frequen tius enim assignari solet liberis prioris, quàm posterioris

sterioris matrimonii : Idque confirmat etiam Besold. in
thesaur. pract. vocab. *Voraus* / scribens : *Probè in ple-*
risque Civitatibus & Provinciarum Reformationibus est
statutum, ut in unione liberorum, liberis prioris matrimo-
nii præcipuum aliquod (hoc est certa quædam quantitas
pecuniaria, vel species, ut fundus &c. quod ante divisio-
nem bonorum cum unitis fratribus præcipiatur) assigne-
tur, quod Germanico idiomate einen Voraus appellat,
add. Rickh. de Union. prol. cap. 7. n. 24.

§. 7. *Præcipuum, quod ex jure Saxonico debetur,*
 non tantum obvenit filiis & filialibus, sed etiam nepotibus.
 vid. *Dn. Carpzov. P. 3. c. 38. d. 36.* distinctione tamen adhi-
 bitâ inter bona : Ratione namque Præcipui ex heredita-
 te paternâ & quidem quoad Res Expeditorias sola agnatio
 attenditur, hinc frater consanguineus una cum fratre
 Germano, vel ab utroque latere conjuncto ad illas admit-
 tendus est, & respectus saltem habetur ad lineam masculi-
 nam *Matth. Coler. p. 2. decis. 262. n. 4. Carpz. P. 3. Const.*
ult. def. 37. Requiritur autem ut defunctus fuerit Nobi-
 lis. De Jure Saxonico enim inter solos Nobiles Res expe-
 ditoria & Gerada frequentantur. *Landr. Lib. 1. art. 27. vers.*
und das Heergewette an den nechsten Schwerdmagen: Et
§. Ein jeglicher Mann / ubi dicitur: denn welcher Mann
von Ritters Art nicht ist / und deme der Heerschilt nicht
zustehet / der läßt hinter ihm Erbe zunehmen / wann er ge-
storben und kein Heergewette: Item Matth. Coler. P. 1. de-
cis. 42. n. 3. & decis. 203. n. 21. dicit: Weil nach Sächsischen
Rechten Bürger und Bauern kein Heergeräth lassen / so
kan / wann ein Schmied oder Zimmermann versterbet / das
Schmied- oder Zimmerzeug in das Heergeräthe nicht ge-
hören. In nonnullis tamen locis etiam civibus ac rusti-
cis res expeditoria ex speciali consuetudine cedunt Coler.
Part. 1. decis. 42. & 203. Carpz. Part. 3. const. 38. def. 24.

§. 8. *Quem-*

§. 8. Quemadmodum in Rebus expeditoriis sola agnatio, sic in Geradâ sola cognatio attenditur, inde & soror uterina una cum sorore ex utroque latere conjuncta in bonis utensilibus admittitur, & hæc sententia tam juris civilis quam Saxonici rationibus consentanea est, idque cuius primo intuitu facile persuaderi poterit, saltem ipsorum bonorum utensilium naturam diligentius consideranti: Hæc enim præter casum, quo uxor defuncto marito recepit, non à masculis sed à solis foeminis post mortem ipsarum relinquuntur, ut probatur *in artic. 27. ibi: Ein jegliches Weib vererbet ihre Gerade auf ihren nächsten Nisttel / so ihr von Weibes halben zugehörig ist Lib. 1. Sächsisch. Landr. & testatur Schneidew. in Instit. de here d. que ab intest. defer. in rubr. de success. int. vir. & uxor. n. 55.* Neque etiam ad masculos, sed ad solas foeminas, & quidem eas solum, quæ defunctæ per lineam foemininam sunt conjunctæ transmittuntur, exclusis aliis omnibus personis, quæ ex linea masculina descenderunt. *d. art. 27.* Usque adeò ut nec foeminæ quæ ex linea masculina descenderunt, admittantur. Quin imo tam foeminæ, quam masculi ex linea masculina descendentes in tantum à successione bonorum utensilium excluduntur, solius cognitionis habitâ ratione; ut si nullæ extent foeminæ, quæ defunctæ per lineam foemininam conjunctæ sint, bona hæc ad fiscum devolvantur, ut est textus *in art. 28. lib. 1. Specul. Saxon.* Quando verò mater nulla alia bona, nisi Geradam reliquerit, filiis de Gerada legitima debetur. *Dn. Richter. tract. de success. ab intest. sect. 1. membr. 1. num. 60.*

§. 9. Quæritur, annon Jus Repræsentationis ratione Præcipui ex Jure Saxonico locum habeat? Resp. Distingvendum inter Collaterales & Descendentes. Quoad
C
Colla-



Collaterales negatur: In Rebus enim expeditoriis sola agnatio & in Geradâ sola cognatio attenditur, quique ex his defuncto gradu proximus, reliquos excludit *Const. Elect. 18. P. 3. §. ult. vers.* Sondern unsere Meinung und Gemüth ist. &c. Et ita in Collegio Jenensi mens. Sept. An. 1638. ad requisitionem Martini Gebleri & Theodori Evandri zu Weymar responsum est. vid. *Dn. Richter. d. l. n. 50.* Quoad descendentes affirm. repræsentant enim Nepotes vices filii, ex ejusque persona, jure repræsentationis, admittuntur. *§. 6. l. de hered. qua ab intest. defer. Nov. 118. c. 1.* & ita in causa Georgii Rumplers zu Leisnig mens. Decembr. 1633. *Add. Christ. Zobel. part. 1. Differ. 21. Andr. Goldb. de Gerad. cap. 5. tit. de success. cognat. descend. num. 3.*

§. 10. In Ducatu Württembergico Liberis secundi matrimonii aliquando etiam competit Præcipuum aliquod, nempe quando cum fratribus aut sororibus consanguineis & uterinis parenti succedunt, videatur des Fürstenthumbs Württemberg gemeine Landtrecht *Part. 4. Rubric.* Wie es gehalten werden soll/ so zwey Ehegemächt beyammen Kinder ehelich erzeugten und ihr jedes auffer vorhergehender Ehe/ auch Kinder. &c.

§. 11. Secundum *Statuta Norica* de anno 1522. & de anno 1564 *L. 2. tit. 34.* filii & filix parentibus succedentes etiam Præcipuas quasdam res capiunt: ubi controversatur, quoniam ibi saltem mentio fit vocabuli Filiorum. Num etiam nepotes contineantur? Joh. Hieronym. Wurffbein. *in Differ. Jur. Civil. & Jur. Noric. pag. 233.* negativæ est sententiæ. I. Quia statuta propriè intelligenda: Propriè autem loquendo filiorum appellatione nepotes non veniunt, quamvis id verum sit de liberorum sumto vocabulo. *l. 6. ff. de testam. tutel. ibiq. Gotbofr. junctâ l. 220. pr. ff. de*
V. S.

V. S. l. 41. §. 5. de legat. 3. l. 59 ff. de rit. nupt. admittenda sit, docet Fachin. 5. Controv. 18. II. Quia verisimile est Magistratus statuentes de uno tantum & non simul de alio etiam statuere voluisse, idquè juxta filios & filias etiam nepotum mentionem facientes, sicut h. ipso tit. 34. l. 2. Reformat. Noric. factum est, si & his Præcipuum oder den Voraus percipere per eos licuisset: Cum vero illi omisi sint: Regulæ illi communi locus erit: *Expressit ubi voluit: Ergo noluit ubi non expressit:* quæ maximè in statutis observatur. III. Propter præjudicium aliquod in causa der *Sis Hinger* / ubi in Judicio Norimbergæ pro negativa judicatum.

CAP. III.

Res, quæ prælegari possint; quæ constituent præcipuum Legitimum; quæ præcipua competant Liberis masculis tantum; quæ tam masculis quam foeminis &c.

§. I.

Materia Objectiva sunt res ipsæ, quæ Præcipuum constituunt: Et ultimâ quidem voluntate parentum prælegari possunt Res quælibet, corporales sive incorporales l. 34. §. 1. l. ult. §. 1. ff. de legat. 2. l. 41. pr. de legat. 1. l. 91. de legat. 3. Olim tantum res testatoris propriæ rectè prælegari poterant. Paul. lib. 3. cap. 6. add. Wesenb. ad §. 2. I. de legat. & Ulpianus tit. 24. §. 10. de legat. ait: *Per præceptionem legari possunt res quæ etiam per vindicationem:* Per vindicationem autem poterant, uti ipse, scil. Ulpian. §. 6. eod. scribit: *Quæ utroque tempore ex Jure Quiritium te-*
C 2
statoris

statoris fuerunt, mortis & quando testamentum faciebat: præterquam si pondere, mensura, numero contineantur, in his enim satis est, si vel mortis duntaxat tempore fuerint ex jure Quiritium. add. Caj. Lib. 2. Inst. tit. 5. §. 7. de legat.

§. 2. Hodie verò res aliena etiam prælegari potest, cum ex constitutione Justiniani *l. 1. C. commun. de legat. §. 2. I. de legat.* dispositum, ut omnibus legatis una sit natura, non quidem quoad rem ipsam; (ut enim quod per damnationem legatum est, per vindicationem, vel vice versâ, legatum sit, per rerum naturam effici nequit) sed quoad objectum scil. res, & effectum, ut hodie per vindicationem & præceptionem res aliena legari possit, ut in legato damnationis; & pro consequendis legatis tres actiones competant; Ex testamento scil. Rei vindicatio & Hypothecaria. *add. l. 72. ff. ad SC. Trebell. §. 3. & 4. I. de legat.*

§. 3. Num autem Jure Canonico æquè ac Jure Civili prælegatum rei alienæ valeat, dubitatur per *cap. filius noster. 5. Extr. de testam. & ult. volunt.* Ego affirmativam sententiam veriore esse puto. 1. Propter *can. 5. caus. 12. quest. 5.* 2. Quia nulla differentia statuenda inter jus Canonicum & Civile, nisi expressè in jure Canonico reperiat. 3. Quia nullibi *in d. c. 5. Extr. de testam. & ult. volunt.* dicitur: Rem alienam legari non posse, sed id in eo prohibetur, ne res aliena invito domino, prætextu legati à legatario detineatur: Legatarius enim domino rem petenti cogi debet eam restituere, licet ab herede rei æstimationem petere possit ex juris civilis decisionibus. *Gloss. in hunc locum. Covarruv. in comment. ad d. cap. 5. Fachin. Lib. 5. contro. c. 38. Hillig. Lib. 8. cap. II. comment. Lit. T.*

§. 4. Et si

§. 4. Etsi aliàs legatâ re alienâ distingvatur, an testator sciverit illam esse alienam, vel non. §. 4. *I. de legat.* sique sciverit, quod tunc heres eam luere, vel si dominus vendere nolit, æstimationem præstare debeat legatario, sin verò putaverit, rem esse suam, tum neque æstimationem præstandam esse. Hic tamen distinctione illâ opus non est, cum in hoc prælegato uni ex liberis relicta, sique uni ex propinquis, qui rem alienam legatam cum effectu petere possunt. *l. 10. C. de legat.* Facit enim affectus, ut testator præsumatur prælegaturus fuisse tali personæ, etiamsi sciret rem alienam esse, *add. l. 72. ff. ad SC. Trebell.* vid. omnino *Menoch. arbit. 9. c. 146. Cujac. in notis poster. ad §. 4. & seq. Instit. de legat. Vult. Schneidew. ibid. Treutl. Part. 2. Disput. 13. ch. 5. lit. C.*

§. 5. Res, quas Liberi ex ipsa Lege Præcipuas habent, vel capiunt, & quidem Masculi tantum, sunt I. Bona castrensia *l. 1. §. 15. ff. de collat. l. 4. ff. de pecul. castrens.* quibus accensentur etiam equi, arma filiofamil. militatum abeunti data *l. 1. C. de castrens. pecul.* II. Quasi Castrensia *d. l. 1. §. 15. ff. de collat. l. ult. C. eod. l. 4. C. de advoc. divers. judic. l. un. C. de castrens. omn. palat. pecul.* Sub quibus non solum comprehenduntur, quæ filius ex artibus liberalibus & functionibus publicis acquirit, sed etiam ea, quæ occasione istius militiæ togatæ ad ipsum pervenerunt *l. 7. C. de assess. & domest. & cancell. judic. l. 4. C. de advoc. divers. judicior.* Similiter quæ dignitatis, utpote Decurionatus vel Doctoratus, nomine pater pro filio dedit, aut promisit. *l. un. C. de peric. success. parent. l. 1. §. 16. ff. de collat.* æquum enim est cum onera dignitatis sustineat, id lucretur etiam filius, onera namque honoribus coherent *l. 2. §. 1. de vacat. & excus. muner.* III. Regulariter sumtus studiorum à patre erogati, ut est textus in *l. 50.*

ff. famil. ercisc. per quem hoc tradit Bart. in l. 1. §. 15. ff. de collat. & Bald. in l. filia. 18. C. famil. ercisc. & in l. Macedonian. 5. C. ad SC. Macedon. tradit & latè Jas. in autb. Quod locum. C. de collat. Vital. in tract. de collat. quest. 1. & quest. 18. Quæcunque enim filiusfam. à patre accepta consumsit, ut inde non fieret locupletior, licet doctior, aut melior ex disciplinis evaserit conferre non tenetur, quoniam nec amplius ea habet, nec dolo nec culpa desit habere: Generalis etenim *l. 2. §. 2. ff. de collat.* traditur Regula: *Quæcunque filius morte parentis nec habet nec dolo nec culpa desit habere, conferre non tenetur.* Quæ vero ita consumsit, ut inde fieret locupletior, veluti si libros emerit, distingvendum an pater ei crediderit, an pietate ductus, sumtus ei administraverit; priori casu filius coheredibus eo nomine est obligatus, non vero posteriori, obscurum enim nemini est, ejus argumenti vim magnam haberi, quod ab armatis militibus ad togatos sumitur. *Everb. in Top. loc. à mil. arm. mil. num. 1.* Quippe quo jure, quoque privilegio illi utuntur, eodem etiam ferè hos frui. At filiumfam. militem, responsum est à Tertulliano, præcipua habere omnia ea, quæ pater ei in castra proficiscenti elargitus fuerit. *l. 4. ff. de castrens. pecul.* Quidni igitur filiofam. quæ parens eidem ad Musarum castra proficiscenti, sumtus nempe in studia & libros erogandos, dedit manere debent? cum utrobique par subsit causa, & non dissimilis ratio. *l. 4. l. 14. C. de advoc. divers. judicior.* siquidem libri sunt arma studiosorum, *Gloss. in l. nepos. 125. in verb. dignitate ff. de V. S.* iisdemque non minus necessarii, quam arma militibus esse possunt. *Gædd. ad l. armorum 41. n. 7. ff. de V. S.*

§. 6. Præcipuum quod diverso respectu competitia vel masculis vel fœminis constituunt. I. Res quas liberi post

post mortē parentis defuncti, cui succeditur, acquisiverunt
l. 6. 13. C. de collat. item fructus, nisi acquisiti sint ex morā
collationis, qui tunc non habentur præcipui, sed confe-
rendi; aliās enim commodum ex malitia sua sentiret is,
qui moram commisit, quod nefas est. II. Id quod post
mortem patris eis debebatur, utcunque ante mortem pa-
tris, & ita antequam iis debebatur acceperint. *l. 11. ff. de
collat.* III. Bona quæ (extra professionem privilegiatam
seu causam castrensem vel quasi) aliunde quam ab ascen-
dente, cui succeditur, iis obvenere *l. ult. C. de collat. §. 1. I.
per quas pers. cuiq. acquir.* IV. Ususfructus adventitiorum
bonorum, quem pater filio vel filiæ cessit: Obstare qui-
dem videtur *l. fin. C. de collat.* ubi ideo non conferuntur
adventitia, quod suo jure liberi ista habeant, non etiam
à patre; ut hunc usumfructum, cum à patre concessum
sibi habeat filius, videatur debere conferre, ne alias pona-
tur inæqualitas, quoad alios liberos. Quæ opinio ut ut
possit videri probabilis, obstat tamen ei textus. *l. 6. §. 2.
vers. sin autem res sibi C. de bon. qua liber.* ex quo apparet,
usumfructum illum præcipuum habere filium. Cujus ra-
tio est quia res sua nemini servit, sed redit ad naturam su-
am: Nec est quod quis objiciat, è bonis paternis usum-
fructum abire, ad filium vero venire; nam ille non tam
amittit, quam non acquirit; hic non tam acquirit, quam
non amittit *l. 5. §. 13. ff. de donat. int. vir. & uxor.* vid. *Dn.
Brunn. in Tract. de Collat. bonor. cap. 4. n. 576. Perez. in
Cod. tit. de collat. n. 21. Stephan. Forcat. de collat. bon. p. 2.
n. 24. Hartman. Simon. obs. sing. 16.* V. Actiones popula-
res & injuriarum abs filiofam. in vita patris exercitæ *l. 2. §. 4.
ff. de collat.* VI. Vestimenta in usum quotidianum data,
hæc enim alimentorum appellatione continentur *l. 6. ff.
de aliment. legat.* VII. Quod parens debet filio. *l. 20. §. 1.
l. 25.*

*l. 25. §. 19. ff. famil. ercisc. VIII. Donata à patre ob bene
merita; Gail. 2. Obs. 38. Struv. Synt. Jur. Civ. Exerc. 40.
tb. 7.*

§. 7. Ut constet quas res Liberi Consanguinei,
quas Uterini ex Ipsa Lege præcipuas habeant distinguen-
dum quoad Consanguineos, an eorum pater ante nover-
cam decesserit, an vero post eam. Et si ante eam, utrum
à prima uxore aliquid acceperit, an vero per successionem
ex bonis defuncti filii ex illa suscepti. Priori casu sive dos
fuerit, sive alia largitas, ut ex nuptiarum solennitate, mor-
tis causa donationibus, testamento jure directo aut fidei-
commisfi vel legati titulo &c. id omne liberi prioris ma-
trimonii præcipuum habent. *l. 5. C. de secund. nupt. Nov.
22. c. 23. c. 29.* si vero per successionem ex bonis filii alicuj
quid acquisierit, illud non (ut mater *l. 3. §. 1. C. de secund.
nupt. Nov. 22. c. 46.*) prioris matrimonii liberis conservare
tenetur, sed commune fit & consanguinei æqualiter in il-
lis succedunt. *vid. Prælaudatus Dn. D. Rebhan. Hodog.
Jur. Chart. 2. Clim. 3. §. 41. parall. 1. pag. 393.* Posteriori
casu, quando sc. post secundam uxorem decessit, liberi
cujusque matrimonii lucra dotalia, à matre eorum prove-
nientia præcipiunt, & liberi ex priori matrimonio etiam
ea bona, quæ ab eorum matre ad eum pervenerunt *d.
Nov. 22. c. 29.*

§. 8. Quod si liberi Uterini concurrant, æquè ut
casu antecedenti interest, utrum mater ante vel post secun-
dum maritum decesserit. Nam si ante eum, idem juris est
quod in liberis consanguineis. Si vero post eum, tunc si
aliquid à defunctis maritis accepit, interest utrum sint lu-
cra nuptialia an alio jure ad eam quid pervenerit; Lucra
nuptialia absolutè unaquæque soboles proprii parentis ac-
cipit, sive ad tertias convolarit nuptias sive non: Quæ
vero

vero alio jure, distingvendum an à priori marito vel posteriori acceperit, illa etiam præcipua habent liberi ex priori matrimonio *l. 3. C. de secund. nupt. Nov. 22. c. 23.* Hæc liberi ex posteriori non habent præcipua, sed eorum fratres vel sorores uterini ex priori matrimonio æqualiter cum iis succedunt, si mater nihil de illis disposuit, liberam enim disponendi facultatem habet si innuba manserit, secus si ad tertias convolarit nuptias. *d. Nov. 22. c. 29. §. 1.*

§. 9. Controversa admodum est quæstio, An donationem simplicem factam à patre filius in potestate constitutus præcipuam habeat? Ego affirmativam sententiam veriore esse puto, si pater eam non revocaverit, propter *l. pen. C. de collat.* in qua Imp. Justinianus proponit regulam: Donationem simplicem præcipuam haberi, nisi donator pater contrarium expresserit, vel si alter heres dotem vel donationem propter nuptias teneatur conferre, quoniam hoc casu pater præsumitur compensationis cujusdam vice in filium, qui donationem propter nuptias non accepit, donationem simplicem contulisse. Igitur extra hoc casus donatio simplex præcipua habetur.

§. 10. *Præcipuum Feudale*, est ipsum feudum à parente relictum, quod consistit in rebus immobilibus sive naturaliter sint immobiles sive civiliter. *2. F. 1. §. ult.* namque dicitur, *Sciendum est feudum non nisi in rebus soli, aut solo coherentibus, aut in iis, quæ inter immobilia connumerantur posse consistere. add. 2. F. 23. §. hujus autem.* Uberiorem explicationem Rerum, in quibus feudum constitui potest vid. *apud D. Struv. Synt. Jur. Feud. cap. 6. Ludov. Synops. Jur. Feud. cap. 12. Et quam plurimos alios Feudistas.* In *Vnione prolium* quælibet res præcipua liberis assignari potest, ut, certa quædam quantitas pecuniaria,

D

aria,



aria, vel species (ut fundus, domus, &c.) prout inter parentes convenit. *vid. Rickb. de Union. prol. cap. 7. n. 24.*

§. 11. Præcipuum *Statutarium* variis in rebus consistit: *Jure Saxonico Filiorum* Equestris ordinis præcipuas sunt Res Expeditoriae, das Heergewette / Sächs. Landr. *Lib. 1. art. 27.* Quanam vero species inter res expeditorias referantur tradit *Georg. Kotschitz in Tract. de Dotalitio art. 22.* Et hoc etiam videre est ex sequente decisione, ad consultationem *Jost Heinrichs von Witzleben* zu Neurada mens. Mart. Ann. 1632. in *Dicasterio Jenensi.* Das Heergeräthe bestehet darinnen / daß Euch drey Brüder in gesambt / euers Bruders bestes Pferd gesattelt und gezeuget / der beste Harnisch und Schwert / so er in seiner Rüstung hat verlassen / seine tägliche Kleider / ein Heerpfüel / das ist ein Bette nechst dem besten / ein Küssen / ein Tischtuch / zwey Leylachen / ein Handquel / zwey zinnern Schüsseln / ein Fischtiegel und ein Kesselhacken / gehört. Et hæ res æqualiter inter filios dividuntur, excepto gladio, quem natu major præcipuum habet, per text. *in artic. 22. inf. Lib. 1. Landr. add Petr. Heig. Part. 1. quest. 8. num. 29.*

§. 12. *Filiarum* vero Præcipuum eodem jure constituunt bona utensilia seu Gerada *Art. 27. Lib. 1. d. Landr.* In quibus determinandis consuetudo loci, & quid mulier in sua custodia & possessione habuerit, & post mortem suam reliquerit, attendi debet: *Const. Elector. 22. P. 3. §.* Wenn aber *verb.* gebraucht / oder in ihrer Verwahrung gehabt &c. *Dn. Carpz. P. 2. const. 14. def. 25.* Enumerationem quandam vide apud *Goldbeck. tract. de Jur. Gerada. Carpz. d. l. defn. 22. & plurimis sequentibus:* item ex sequenti responso ad questionem *Annen Catharinæ*
von

von Zischwitz / gebohrnen von der Planitz / mense Julio
 Ann. 1640. Jenæ prolato: Es seyn alle Schaaf / Gänse /
 Kasten mit angehangenen oder ausgehobenen Lieden /
 Garn / Bette / Pfuell / Küssen / Leylach / Tischtücher / Deller-
 Tüchlein / Zwelen / Badlachen / Becken / Leuchter / alle
 Weibliche Kleider / Ring / Armbänder und Ketten / wofern
 die Verstorbene solche in Ihrer Verwahrung gehabt /
 Bücher darinnen die Frauen lesen / Siedlen / Laden / Tep-
 pich / Umbhänge / Bürsten / Scheren / Spiegel / Golt und
 Silber / so zu Frauen Geschmuck gewürcket / alle Gewant
 und Lacken / welche zu Frauen Kleider geschnitten / gultene
 Borten / Kränze / Perlen / Corallen Schnür / Gürtel / alle
 Federn / der Ruhwagen darauff die Frau gefahren / die
 Braupfanne welche nicht eingemauert / sondern man zu
 vermeiden pfleget / der Waschkessel und alles Gebände zur
 Gerade gehörig: Was nun hiervon in der verstorbenen
 Verlassenschaft vorhanden / ist Ihr Ehemann der obge-
 dachten nechsten Mittel abfolgen zulassen schuldig / B.
 R. W.

§. 13. *Res, quas Liberi posterioris matrimonii se-
 cundum Jus Wurtembergicum precipuas habent, sunt om-
 nes res cujuscunque generis à parentibus in illo matri-
 monio acquisita, uno verbo Acquæstus Conjugalis, uti
 patet ex hisce verbis Constitutionis: Daß solche Kinder
 zweyter Ehe / welche beeder Ihrer Vatter und Mutter
 Verlassenschaft / mit Ihren einthalb Geschwistrigten also
 vertheilen müssen / allwegen das Jenige / so in selbiger
 zweyter Ehe erungen und gewonnen / und in beyden Fäl-
 len nach Absterben Vatters und Mutter auff sie kommen
 wäre / zu einem ledigen Voraus behalten mögen / und sie
 solches mit keinem Ihrem Geschwistrigten zutheilen schul-*
 dig

dig seyn sollen &c. Fürstenth. Württenb. Gemeine Landr.
P. 4. rubr. Wie es gehalten werden soll / so zwey Ehege-
mächte beyammen Kinder ehelich erzeugten und / Ihr Jedes
auffer vorhergehender Ehe auch Kinder &c.

§. 14. *Secundum Statuta Norica L. 2. tit. 34. Filii*
præcipua habent omnia patris arma, & tela & vestes pa-
ternas & libros, qui non pertinent ad negotiationem
(was nicht Handelsbücher seynd) Filia vero præcipiunt
vestes maternas, tunicas, vittas, & alia quæcunque sunt
mundi muliebris: Quo pertinent, Gürtel / Messer und
Beutel. vid. text. in l. 22. cum aliqq. seqq. ff. de auro vel
arg. legat. Gail. 2. O. 91. n. 4. & ita iudicatum in iudicio
Norico in causa Köblers contra Holzscher Ann. 1590.
ii. Maji. Et quemadmodum de his filii nihil participant,
ita neque filia de vestibus paternis, armis, telis ac libris.
d. l. 2. tit. 34. Verba Reformationis hæc sunt. Wann
in verdingten Heyraten Söhne und Töchter / die Väter-
liche oder Mütterliche Erbschafft / ohn geschafft annehmen /
so sollen die Söhne / allen Harnisch und Wassen zu der
Wehre gehörig / auch die Väterliche Kleider und Bücher /
damit man nicht handtieret zum Voraus nehmen / und
die Töchter die Mütterliche Kleider / auch Schleyer / Han-
ben und andere Gespende.

CAP. IV.

*Forma & Modus constituendi
præcipui.*

§. 1.

AD *Formam* accedamus, quæ in omni Præcipuo una &
eadem, nempe quod illud ita liberis assignatum, ut
ante

ante divisionem hereditatis præter hereditariam portionem, si nondum habeatur, capi possit, uti ex definitione tum nominali tum reali pluribus apparet. vid. *supra Part. 1. Cap. 1. § 2. Modus vero constituendi varius est: Prælegatum* constituitur ultima voluntate: & quidem si testatò relictum sit, aliàs ad exactionem testamenti validitas requiritur: ex testamento enim imperfecto ratione solennitatum prælegata non debentur *arg. l. 23. l. 11. §. 1. de legat. 3. l. 29. pr. ff. qui testam. facer. poss. l. 23. l. 29. C. de fideicom. l. 8. §. 1. C. de Codicill. (exceptâ causâ exheredationis & præteritionis, authent. Ex causa C. de liber. præter.)* in tantum, ut si bona fide soluta sint, repeti possint. *arg. l. 76. §. 9. de legat. 2. l. 36. §. 2. de testam. milit. hîc tamen ex imperfecto testamento etiam debetur. l. 16. l. 21. l. ult. C. famil. ercisc.*

§. 2. Verba quibus Prælegatum relinqui solet solennia non sunt, quæcunque enim, dummodo sensum volentis præcipuum relinquere significant, adhiberi possunt, *l. 2. C. comm. de legat. l. 21. C. de legat. l. 14. ff. de dote prælegat: Potissimum tamen hoc modo prælegatur: Pamphile illam rem præcipito, tibi que habeto l. 27. §. 3. de instruct. vel instrum. legat. Titi filii, è medio præcipito, sumito tibi que domum illam item aureos centum habeto l. fin. ff. de pecul. legat. Octaviana Stratonica dulcissima filie salutem, volo eam à se ipsa accipere villam Gazam cum impositionibus suis omnibus. Octaviano Alexandro dulcissimo filio meo salutem. Præcipuum volo eum accipere Syntesin stelium villarum cum impositionibus suis l. 34. §. 1. de legat. 2.*

§. 3. De Præcipuo Feudali pater ultima voluntate non potest disponere, sed filii capaces æqualiter in id succedunt,

cedunt, licet uni filiorum solum reliquerit, vel plus quam reliquis *Deci. Cons. 468. n. 31. Paris. cons. 98. Lib. 8. & consil. 65. n. 45. lib. 3. Schrader. de Feud. p. 7. c. 2. n. 1.* Ratio est, quia providentia consuetudinis feudalis præstat hoc privilegium ipsis filiis, ut æqualiter omnes succedant. 1. *F. 8.* Unde id quod lex tribuit, non potest ab alio, quam ab ipsa lege auferri, & provisio legis tollit provisionem hominis vid. *Speidel. Specul. verb. Voraus.*

§. 4. Præcipuum ex *Unione prolium* ut recte constituatur requiritur ut. 1. Consentientibus illis quorum interest scriptis designetur à parentibus, qui actum unionis prolium celebrant. 2. Magistratui competenti indicetur & 3. A prædicto Magistratu confirmetur, videatur *Churf. Pfälzische Lands-Ordnung Part. 2. tit. 25. vers. und endlich da zwey Eheleut. &c. Sic in Reformat. Wormat. tit. von Einkindschafften &c. Scriptum est §. zum andern vers. Auch ob einig Gut den lebendigen Kindern zum Voraus gemacht wird / schriftlich vergriffen: add. Reformat. Francofurt. Part. 3. tit. 10. Reformat. Moguntin. tit. von Einkindschafften.*

§. 5. Quemadmodum de feudo ultimâ voluntate non potest disponi, ita neque de *Præcipuo ex Jure Saxónico.* Nam Res Expeditoriæ ex singulari illius juris dispositione filiis debentur. *Modest. Pistor. Part. 4. quest. 131. n. 33. Carpz. P. 3. const. ult. def. 34. Hartmann. Simon. Obs. singul. 12.* Sic & Gerada in filia præjudicium, eaque dissentiente alteri neque mortis causâ donari, neque per ultimam voluntatem relinqui potest. *Cöler. Decis. 12. n. 64.* & hoc verum est sive defuncta ipsamet utensilia comparaverit, sive dotis loco ad maritum attulerit, sive maritus stante matrimonio ea acquisiverit. *Idem, Decis. 60. n. 42.*

Secus

Secus tamen est. 1. Si filia consenserit. *Carpz. P. 2. const. 14. def. 2. Dan. Moller. ad. d. const. in pr.* 2. Limitatur hæc assertio in donatione Geradæ inter vivos, quæ subsistit: veluti Scabini Hallenses mens. April. ann. 1597. ad quæstionem *Annen und Elisabethen/ gebornen von Weilsrada* responderunt. *Contra Hieronym. Wurffbein in Diff. Jur. Civil. & Noric. Class. 1. membr. 2. sect. 1. docet: quod textus Reformationis Noricæ de Præcipuo tantum locum habeat, quando succeditur ab intestato.*

CAP. V.

Cujus gratia Præcipuum constitutum.

§. 1.

CAusarum ultima est *Finis*, qui diversus est pro diversitate Præcipui, alius enim est respectu Præcipui *ex ultima voluntate*, alius respectu illius quod descendit *ex Lege, Conventione vel Statuto*. *Causa finalis Prælegati eadem est, quæ in legatis, nempe ut benigne fiat prælegatario. l. 9. ff. pro socio. l. 75. pr. de legat. 2. prælegatum enim obvenit titulo lucrativo, arg. l. 36. de legat. 2. l. 32. ff. mandat. §. 2. l. de legat. & ridiculum foret legare, ut nihil commodi legatarius sentiat. l. 65. ad L. Falcid. Item ut honoretur heres, cui relictum l. 3. §. 2. l. 5. §. 6. ff. de legat. præst. contr. tab. bon. poss. pet. l. 15. pr. ad L. Cornel. de fals. l. 36. pr. ff. de excusat.*

§. 2. *Finis Præcipui ex ipsa lege, ut Peculii Castrensis & quasi castrensis est, ut filii propter vigilantiam & industriam beneficio aliquo afficiantur: Nonne enim æquum est*

est liberis militiae castra sequentibus ob sudores & bellica pericula, quibus pro totius Reipubl. salute sese exponunt, singulari favore præmia velut laborum concedere & indulgere? *arg. l. 2. C. de offic. magistr. milit. vid. Brunn. in tract. de Collat. honor. cap. 4. num. 17.* Sic & Studiosi amore scientiæ quasi exules & ex divitibus pauperes fiunt, semetipsos exanimiunt, vitam suam multis periculis exponunt, & à vilissimis sæpe hominibus, corporales injurias sine causa perferunt. *Authent. Habita. C. ne fil. pro patre.* Adde quod sine studiis nulla subsistere diu possit Respublica *Panormit. ad cap. ult. inf. de judic. Rebuff. privil. univers. 82. Add. l. un. C. de Castrens. omn. Palatin. pecul. l. 14. C. de advoc. divers. judicior.* Studia ergò ut foveantur, necesse etiam fuit singularia iisdem privilegia concedere, quo onera honoribus plerumque conjuncta *l. 2. §. 1. de vacat. & excus. muner.* compensentur.

§. 3. Quod Liberi prioris matrimonii præter dotem & donationem propter nuptias reliqua lucra, quæ ad parentem secundas nuptias contrahentem ratione defuncti parentis pervenerunt, præcipiant, fit ob favorem liberorum & odium erga parentem qui secundas contraxit nuptias; Nuptiarum enim repetitionem, præsertim in mulieribus, satis esse odiosam & legibus inimicam, tametsi nullo jure prohibita sit, patet ex textu *Nov. 22. c. 40. c. 43. add. Rittersbus. 4. Nov. 3.* Cur reliqua bona liberi ex ipsa Lege Præcipua habeant traditur in *§. 1. I. per quas person. cuique acquir.*

§. 4. Quod Filii feudum præcipuum habeant, id fit ob familiarum maximè illustrium conservationem, pater enim per filium vivere intelligitur; non verò in filiâ, cum illa finis prioris familiæ dicatur. *l. 195. inf. ff. de V. S.*
item

item ob utilitatem domini, ut is sibi fide & officio talem habeat devinctum, qui militare & sibi in bellogerendo auxilium ferre possit. 2. F. 3. §. 1. 2. F. 5. 2. F. 7. Feuda namque à militia originem habent, ad quam mulieres idoneas non esse, expeditum est, tum quod honestati non convenire videatur, ut mulieres virorum cœtui se immisceant, l. 1. §. ff. de postul. tum quod neque consilio dominum juvare arg. l. 4. C. de sponsal. & consilia ipsius ob garrulitatem innatam tacere facile possint. vid. Ludw. Synops. Jur. Feud. c. 9. pag. m. 185.

§. 5. Quà de causâ *Quibusdam in locis constitutum*, ut filii Res expeditorias, vestes scil. paternas, libros, arma &c. præcipua habeant, non exprimitur, putamus verò id eò factum esse, ne dum tales res dividuntur inter filios & filias, filii fiant inermes: Reipubl. etenim interest habere cives armatos; accedit, quòd illæ res filiabus parum videntur prodesse. Ne autem filia hoc modo damno afficiantur constitutum esse, ut in recompensationem filia præcipuas habeant vestes maternas, munda muliebria & his similia, vid. *supr. cap. 3. §. II. & seqq.* In Ducatu Würtembergico cur liberis posterioris matrimonii acquæstus conjugalis præcipuus assignatus, id id eò factum, quo æqualitas aliqua servaretur inter liberos; uti colligere licet ex ipsis verbis Constitutionis: *In Ansehung / daß die letzten Kinder keins Ihrer Eltern / weder Vater noch Mutter einig und allein geerbt / In massen Ihre einhalb Geschwisterigen beyderseits von Vater und Mutter gethan haben. Fürstenth. Würtenb. Gemeine Landr. Part. 4. Rubr. Wie es gehalten werden soll / so zwey Ehegemächt bey sammen Kinder ehelich erzeugten / und Ihr jedes auffer vorhergehender Ehe / auch Kinder. &c.*

E

CAP. VI.



CAP. VI.

Quæ actiones competant ad consequendum Præcipuum, & an conferatur.

§. 1.

HÆc hætenus de Causis consentaneis dixisse sufficiat, ex quibus *Effectus* promanat; & quidem ratione *Prælegati* Effectus est, quod dominium illius rei rectâ viâ & statim à momento mortis patris defuncti in eum, cui prælegatum, transeat *l. 80. de legat. 2. l. 64. ff. de furt. l. 8. §. 5. ff. de petul.* & ad illam rem consequendam Prælegatario dentur hæ Actiones: Familix erciscundæ *l. 17. §. 2. de legat. 1. Theoph. Inst. Lib. 2. tit. 20. de legat.* intellige quoad partem jure hereditario obvenientem *Gotbofr. ad d. l. 17. lit. Z.* (in prælegato enim duæ sunt partes, altera quæ debetur jure hereditario, altera quæ jure legati vid. *infr. §. 5. b. cap.*) Ad partem vero ex jure legati Rei vindicatio, Actio hypothecaria & Personalis ex quasi contractu, additione scil. hereditatis, quemadmodum ad alia legata *arg. l. 1. & 2. C. comm. de legat.* Actio ex testamento & hypothecaria in quocunque legato, etiam rei alienæ, quantitatis & generis locum habet. Rei vero vindicatio non aliter, quam si res testatoris propria & quidem certa species sive corpus legatum fuerit, *Gloss. & Dd. in d. l. 1. C. commun. de legat. add. Dn. Ludw. ad §. 2. l. de legat.* Potest autem filius se ab hereditate abstinere & nihilominus totum prælegatum vindicare *l. 12. de legat. l. 17. §. 1. l. 18. ff. de legat. 1. nisi diversa testatoris voluntas appareat. l. 87. & seq. d. t.*

§. 2. Quod

§. 2. Quod si unius ex liberis bona, quæ ex ipsa Lege præcipua habere debet, non possideat, sed reperiantur inter bona hereditaria parentis defuncti, vindicare illa potest, jam enim est dominus eorum *l. 23. pr. ff. de R. V. l. 25. pr. ff. de O. & A. Nov. 22. c. 24. l. 4. C. de secund. nupt.* Ad consequendam vero rem à patre filio donatam, nondum autem traditam, filio datur condictio ex Lege. *l. 35. §. 4. & 5. C. de donation. Nov. 162. c. 1.* Sique filius in rem patris quid vertit, illud in iudicio familiæ eriscunda sibi adjudicari petere potest. *l. 20. §. 1. ff. famil. erisc.*

§. 3. Ad obtinendum *Feudum* datur 1. Utilis rei vindicatio *2. F. 8. §. rei autem.* quâ experiri potest non tantum adversus extraneum feudi possessorem, sed etiam adversus ipsum Dominum, si is fortè feudi possessionem nactus sit, arg. *l. 1. ff. si ager. vectig. pet.* 2. Condictio ex lege adversus dominum, ut si feudum fuerit evictum, aliud ejusdem bonitatis restituat, vel æstimationem ejus solvat. *d. c. 8. §. 2. F. 25.* 3. Actio revocatoria, qua feudum à prædefuncto Vasallo alienatum revocari potest. *2. F. 26. §. Titius filios, Alvar. & Andr. Ifern. ad d. c. add. Bocer. in tr. de Jur. succed. in feud. c. 1. q. 1.* 4. Actio ex feudo seu ex contractu feudali, quâ filius Vasalli experiri potest adversus Dominum ad impetrandam investituram feudi. vid. *D. Struv. Synt. Jur. Feud. cap. 10. aph. 11.*

§. 4. Actionem, quæ datur ad consequendum Præcipuum ex *Unione prolium*, & ad præcipuum quod debetur ex *Statutis & moribus* cujusdam loci, puto esse Conditionem ex Lege s. moribus vel ex Statuto. Nulla namque hisce casibus actio expressa, quâ agendum, necessario ergo dicendum quod dicta actio locum habeat. Legem enim accipio pro omni constitutione, quæ statim ut lata est obtinet vim legis. *l. un. ff. de condict. ex leg. add. Zæf. ad d. tit.*

§. 5. Ad Effectum Præcipui maximè etiam pertinet quod illud non conferatur *Rittersb. ad Nov. Part. 7. c. 4. n. 10. & seqq. Job. Hier. Wurffb. Diff. Jur. Civ. & Jur. Noric. class. 1. m. 2. sect. 1. th. 41.* id quod & argumento ipsius verbi *Præcipuum Voraus* / patet: Contraria enim sunt aliquid ultra portionem hereditariam ut præcipuum teneri & in collationem deduci *l. 12. l. 13. C. de collat.* Hinc *Webner. in Obs. Pract. Lit. 3. vocab. zuvoraus* / scribit: Quòd verba hæc *zuorhinans* / oder *zuvoraus* / in testamentis aut instrumentis posita, ejus sint naturæ ac importationis, ut summa illa præcipua non veniat in collationem, deñ *der Voraus* ist mit dem Miterben nicht einzuwerffen noch zu conferiren. Defunctus enim uni ex liberis pecuniam aut aliam aliquam rem assignans, daß er ein gewisses voraus haben soll / ejus mentis esse censetur, ut ista accipiatur ante divisionem sine collatione retinenda: Quocirca in collationem non venit, illa enim remittitur voluntate defuncti, non tantum expressa sed etiam tacitâ. *Bald. conf. 200. vol. 4. Cravett. conf. 85. n. 18.* nemo namque creditur præcipuum alicui relinquere velle, & tamen ut illud conferatur unâ intendere. *Mevius Part. 1. Decis. 82. add. Balduin. in Justin. p. 552. item Rittersb. ad Nov. Part. 5. c. 6. n. 5. Cujac. lib. 3. Obs. 30.*

§. 6. Cum autem Res, quæ filio heredi ex massa hereditatis prælegatur duplici jure pro diversis partibus censi necesse sit. *l. 1. §. 6. ff. quod legator. l. 18. §. 3. ff. ad SC. Trebell. l. 91. ff. ad L. Falcid.* Altero, quo apud heredem, in cujus portione jam per institutionem heredis locum partemque sortita fuerat, hereditario jure remanet; sibi enim à semetipso legari nequit, *l. 116. §. 1. de legat. 1.* Altero, quo in heredem ex coheredum partibus titulo legati transfertur. Hinc pars hereditaria imputatur in Legitimam & Falcidiam *l. 74. l. 91. ff. ad L. Falcid.*

§. 7.

§. 7. Accidit aliquando ut filius heres, cui prælegatum relictum fideicommissum sit gravatus, inde quæritur an etiam prælegatum restituendum veniat, & quid juris circa partem hereditariam? Distingvendum: An quis sit rogatus generaliter, quicquid quoquo nomine ad eum ex bonis defuncti pervenerit, restituere, an verò partem hereditariam: Priori casu etiam prælegata, deductâ quartâ, restituenda. *l. 77. §. 12. de legat. 2. l. 18. §. 1. ff. de auro & argent. legat. l. 16. C. de fideicommiss.* Posteriori vero casu, partem quam habet à coherede semper præcipuam retinet. Secundum illud vero quæ ei obvenit jure hereditario distinguendum: Si rogatus restituere, antequam ei prælegatum, tunc totum prælegatum præcipuum retinet, & de reliquis restituendis quartam Trebellianicam deducit; Sin vero post, tunc saltem partem jure legati præcipuam habet, alteram vero cum reliqua portione hereditaria, deductâ quarta, restituere debet. *vid. Gail. 2. Obs. 135.*

CAP. VII.

Modi destruentes Præcipuum, ejusque Impedimenta.

§. 1.

TAndem etiam de præcipui *Contrariis* quædam subjungenda veniunt; Ubi omnium primo notandum, quod *Prælegatum* iisdem modis, quibus legatum, infirmetur, sicque I. Revocatione; *arg. l. 1. & tot. tit. ff. de adimend. legat.* II. Alienatione animo adimendi facta, §. *si rem suam l. de legat. l. 34. §. 1. de aur. & arg. legat. l. 18. ff. de adim. legat.* III. Si prælegatarius testamentum impugnaverit, falsum aut in officiosum dixerit. *l. 6. C. ad L.*

E ;

Cornel.

Cornel. de fals. IV. Si repudiaverit. l. 38. §. 1. de legat. 1. V. Deficiente causâ finali propter quam legatum fuit. Mascard. consil. 1280. n. 72. & seqq.

§. 2. Vitiat prælegatum Error I. In corpore rei prælegatæ, arg. l. 4. pr. de legat. 1. l. 9. §. 1. ff. de hered. instit. II. In nomine appellativo rei prælegatæ, v. g. si quis, cum vellet vestem prælegare, supellectilem adscripserit, dum putat supellectilis appellatione vestem contineri, vestis non debetur; rerum enim vocabula immutabilia sunt l. 4. de legat. 1. III. In nomine heredis, si nempe volens heredi relinquere prælegatum, alium scripserit, hocque modo neque is prælegatum consequitur, cui adscriptum est, neque is quem voluit, arg. l. 9. pr. ff. de hered. instit.

§. 3. *Sumptus studiorum* causa erogatos filius non habet præcipuos. I. Si Parens animo credendi & sic repetendi sumptus hosce filio suppeditaverit. l. 50. ff. famil. ercisc. II. Si pater sumptus largiores in studia subministratos conferendos ultimâ voluntate præceperit. *Cothm. consil. 3. n. 28. & seq. Dec. cons. 184. n. 11.* III. Si filio bona & facultates aliunde suppetant, earumque administratio sit penes patrem. *Bart. ad l. hic titulus 1. §. 15. ff. de collat. n. 8. Hartm. Pistor. 1. Quest. 19. n. 6. Fachin. 5. Controv. 83.* Tunc enim in dubio verisimile est, patrem non ut patrem de suis, sed ut administratorem de bonis ipsius filii, sumptus administrasse. l. 34. ff. de negot. gest. l. ult. ff. de petit. hered. IV. Si filius sumptus, à parentibus transmissos studiorum nomine, emunxerit, ac per Venerem, aleam & commestationes dissiparit, vid. *Bart. & Dec. n. 7. ad authent. Quod locum C. de collat. Hartmann. Pistor. lib. 1. quest. pract. 19.* In his tamen casibus alimenta necessaria sunt deducenda, quæ filio à patre sunt præstanda.

§. 4. Præcipuum quod liberis consanguineis & uterinis debetur, peti non potest, quando tempus tricennale h. e. 30. annorum transactum sit: *Nov. 22. c. 24.* Item si liberi prioris matrimonii expressim consentiant, ut ad secundas nuptias transeat parens, & simul jus suum remittant, quod habent: Quilibet enim juri suo pro se introducto renunciare potest, & scienti & consentienti non fit injuria. *l. 27. de Reg. Jur. in 6. l. 34. C. de. transact.*

§. 5. Donationem simplicem filiusfam. præcipuam non habet, sed conferre tenetur quando, 1. Pater eam revocavit, id enim potest, cum ante ejus mortem non valeat *l. 31. §. 1. ff. de donat. l. 11. c. eod. l. 25. C. de donat. int. vir. & uxor.* 2. si unus vel una donationem propter nuptias vel dotem conferre cogitur, ne si ea persona, quæ sc. donationem propter nuptias vel dotem confert, injuriâ afficiatur, si altera donationem simplicem præcipuam retineat. *l. 20. C. de collat.*

§. 5. Præcipuum ex *Conventione adscendentium* deficit & quidem Feudum filii non habent præcipuum 1. Si ab hereditate paterna se abstinerint *2. F. 45.* 2. Si pater eorum feloniam commiserit. *2. F. 26. §. si vasallus.* 3. Si filius ipse vivo patre delictum admiserit, ob quod feudo acquisito privandus esset, nec fuerit domino reconciliatus. *2. F. 55. §. fin.* 4. Si vasallus eo pacto uxorem duxerit, ut liberi ex ea nati, certâ portione, de qua tempore contracti matrimonii convenit, contenti ab intestato non succedant. *2. F. 26. §. filii,* ubi nota quod negative legendum sit, *non succedunt.* tum ex ratione subjecta, quam collatione cum *2. F. 29. Dn. Rittersb. lib. 1. c. 15. q. 8. feud. add. Dn. Ludw. Syn. Jur. Feud. cap. 10.* Id quod ex *unione prolium*; Quando ipse actus sc. Unio prolium, est nullus,
tu

ut si ejus requisita *supr. cap. 4. §. 5.* enumerata non fuerunt adhibita.

§. 6. *Præcipuum ex Statutis* quorundam locorum liberis obveniens non debetur, si res illæ in hereditate parentum non inveniantur: Quæ enim non adsunt, illæ etiam præstari vel exhiberi non possunt: & hæc assertio etiam procedit, ut nec illarum æstimatio debeat successoribus vid. *Dn. Richter. tract. de success. ab intest. sect. 1. membr. 1. n. 57. Res Expeditoria & Gerada* præscribuntur etiam spatio unius anni, sex septimanarum & trium dierum. Hæc tamen præscriptio non currit contra liberos, sed eam reverentia parentum excusat. *Dn. Richt d. loc. n. 74.*

§. 7. In Ducatu Württembergico liberi posterioris matrimonii *Acquæstum conjugalem* præcipuum non habent, quando non extant liberi ex duobus prioribus matrimoniis, tunc enim deficit ratio ob quam constitutum, ut acquæstum posterioris matrimonii, præcipuum sumant. vid. *Fürstl. Würtemb. Gemeine Landr. de rubr. Præcipuum ex Statutis Civitatis Noricæ* tum locum non habet, quando testatò parentibus succedunt liberi, idque colligere licet ex ipsa constitutione, & confirmatur decreto Inclyti Senatus illius Civitatis *de anno 1626. 7. Julii* lato.


Possent quidem etiam de Præcipui Affinibus aliquid dici; quia vero ratio temporis habenda, cum iter instans vix aliud admittat, quàm brevitati studere; ideo filum hic abrumpo.

Deo Ter Optimo Maximo pro Divina sua Assistentia

sic

LAUS HONOR & GLORIA.







Strassberg, Diss., 1670

X2677027

Kort







UNIVERSALIS JURIDICA 70.
DE 1670, 26 b

PRINCIPVORVM

us der Kinder

HORE
RO WOLFRAMO,
Palatino.



ATORATI,
Æ STÆDELII.
M DC LXX.

